

cens, ac noscens. Unde veritatis manifestatio expectaretur, vel a Diabolo, & esset superstitio; vel a Deo, & esset tentatio Dei. 3. Non est licitum duellum ad finiendam litem, vel controversiam inter privatos: quia, vel instituitur duellum, ut per ejus eventum dignoscatur, qua parte esset justitia, & sic redit argumentum præcedens: vel instituitur tantum ad hoc, ut facto duello partes a lite cessent; & tunc insanum & diabolicum est velle incurrere periculum vitæ, ut desistant a lite, a qua possunt propria voluntate & tota vita desistere; aut potest auctoritate supremi Principis, vel sorte non periculosa terminari. 4. Per se loquendo non est licitum duellum ad finiendam controversiam, seu ad evitandum, aut terminandum bellum inter supremos principes; quia duellum neque a Deo, neque a natura est medium ordinatum & proportionatum ad propulsandam injuriam, vel ad obtinendam satisfactionem pro injuria illata, quæ sunt dux bellorum & controversiarum causæ inter supremos Principes: ergo. Prob. Ant. Is, cujus Republica habet jus, potest æque vinci, ac alter. Vel enim est par utriusque pugnandi facultas; vel si unus sit exercitior, plurima solent in hoc singulari certamine accidere, ob quæ sæpe fortior & exercitior succumbit; adeoque justitia, & bonum commune Reipublicæ, sive in propulsanda injuria, sive in obtinenda satisfactione, quod communibus totius Communitatis viribus propugnari debet, exponitur alex duelli: ergo.

Neque dicas, pariter bonum commune exponi alex belli. Non potest Princeps supremus inire bellum sive defensivum, sive offensivum, nisi major spes affluat vincendi, sive vi, sive insidiis, sive ope confederatorum, aut si vincatur, restaurandi & augendi vires; hostis enim in hostem se habet ut agens in passum; agens autem non agit, nisi sit fortius passus. Cum ergo opponitur, melius esse terminare bellum morte unius, quam multorum: respondetur, id verum esse, quando occisio unius est medium ordinatum & proportionatum ad utiliter pro Republica terminandum bellum; quod negamus de duello, nisi per accidens in casibus infra referendis; & ideo dixi: *Per se loquendo* id esse illicitum. Quantum ad David, qui duello pugnavit contra Goliath, communiter respondetur id fecisse ex instinctu divino, quod probavit eventus, siquidem occiso uno Goliath hostis fugam arripuit. Aliunde, in casu Davidis licitum esse duellum, probabile est, ut patebit in tertio casu sequenti.

Dixi in Conclusionem, *Raro* puelum esse licitum auctoritate publica: quia a pluribus assignantur quidam casus, in quibus videtur esse licitum auctoritate publica. Primus est, si is, qui justè bellum gerit, se viribus inferiorem hosti sentiat, & esset aut conflegendum & succumbendum, aut duellandum, potest & acceptare & offerre duellum; quia bonum commune eo meliori modo quo potest, defendit, & minus periculum eligit. Idem propter eandem rationem videtur dicendum, si sit dubius de victoria, nec sit spes restaurandi exercitum casu, quo profigitur. Secundus casus: si duces, attentis belli incommodis, bonorum detrimentis, multorum necibus, &c. utilius reputent Reipublicæ controversiam duello, quam bello, dicere; tunc enim reputabitur a pluribus duellum licitum ex parte ejus, qui bellum justum gerit; modo tamen inde non fiat victoria magis dubia, quam in bello. Tertius casus est: si ex hoc quod duellum ab hoste oblatum non acceptetur, fiat hostis audacior & potentior, alter dejectus & timidor; tunc etiam posse acceptari, multorum est opinio. Et videtur in pari casu David pugnas- se contra Goliath.

§. III. Quæ sint pæne duellantium?

Pæne duellantium sunt excommunicatio late sententia, Summo Pontifici reservata extra mortis articulum, suspensio, interdictum in iis locis, in quibus scientibus & permittentibus locorum dominis duella fiunt, inhabilitas ad Beneficia Ecclesiastica, privatio Sepulture Ecclesiasticæ, si duellans moriatur in conflictu; non si post conflictum: perpetua infamia, & aliæ pæne corporales, quæ non sunt nostri fori. Ita Concil. Trident. Sess. 25. de Ref. c. 19. Greg. XIII. & Clemens VIII. Constitutionibus cit. Itaque Excommunicationem, quæ est præcipua pæna, incurrunt 1. Principes, Magistratus, Duces militum, &c. præcipientes, aut permittentes, aut tolerantes duellum, vel duellantibus locum concedentes. 2. Pugnantes in duello. 3. Quovis modo cooperantes ad duellum, scilicet, qui aliis ad singulare certamen publicè, vel occultè invitandum, vel ad provocandum aliquem ad pugnam, sive

ad hujus generis scripta, quæ manifesta, quæque cartula provocatorie appellantur, scribenda; dictanda, mittenda, deferenda, divulganda, auxilium, consilium, operam vel favorem præstiterint; sive id suaserint, aut mandaverint, quove in præmissis, vel eorum aliquo se quomodolibet immixtauerint. Etiam si neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnam proximus, neque expressa & aperta provocatio subsequuta fuerit. Ita in terminis Clemens VII. Bulla cit. §. 6. 4. Spectatores ex industria, ut dicit idem Clemens VIII. ita ut sua præsentia incitent ad pugnam, etiam si juxta Greg. XIII. non secuta sit pugna, modo pugnatu ad locum destinatum accesserint. Unde non incurrunt excommunicationem, qui transeundo spectant, aut qui ex industria quidem spectant, sed eo loco in quo videri non possunt, neque si comitentur ad impedendum duellum.

Petes 1. Utrum provocantes principales pro se, pugna non secuta, incurrant excommunicationem? R. rem videri dubiam. In primis Greg. XIII. postquam excommunicavit eos, qui *Monomachiam commiserint*, dominos permittentes, cooperantes, spectatores, & socios, addit in fine §. Etiam si illi, qui ad locum destinatum pugnatu accesserint, impediti pugnam non commiserint. Sed dubium est, utrum hæc ultima clausula afficiat provocantes principales, & videtur pluribus, quod non; quia Pontifex de illis mentionem non facit, nisi quatenus *Monomachiam commiserint*; provocantem autem non est monomachiam committere. Insuper juxta Bullam requireretur, quod saltem duellaturi ad locum certaminis accessissent. Clemens VIII. sub finem §. 6. ubi excommunicat instigantes & cooperantes duello, opponit quidem hanc clausulam, *Etiam pugna non secuta*, sed §. 7. loquens de iis, qui *Duellum ex composito ineunt*, consequenter de provocantibus principalibus, hanc clausulam non repetit. Quando autem poena indigitur, propter delictum, delicto non consummato, non infigitur, nisi exprimitur in lege; sic, qui imperat homicidium, irregularis est, si sequatur homicidium; secus, si non sequatur. Et hæc est opinio plurimum, non omnino improbabilis. Alii volunt, quod in Bulla Clementina sufficienter exprimitur provocantes principales, etiam non secuta pugna; quia §. 5. excommunicat eum, qui *Ex conducto ad singulare certamen descendit, aut alium provocat*, ubi distinguit descendendum ad certamen, seu certamen a provocante. Neque dici potest, ut alii volunt, Pontificem loqui de provocante in actuali pugna. Quid enim necesse erat excommunicare specialiter provocantem in actuali pugna, cum hoc ipso quo pugnat, etiam non provocando, sit excommunicatus? Addunt hanc clausulam §. 6. *Etiam pugna non secuta* subintelligendam esse in §. sequenti, ubi igitur de iis, qui ex composito duellum ineunt, consequenter de provocantibus principalibus & acceptantibus; quia mirum & absurdum foret, merè instigantes, aut consulentes duellum esse excommunicatos, non secuta pugna, & provocantes principales, aut acceptantes, etiam non secuta pugna, non esse excommunicatos. Ad rationem argumenti oppositi respondent, in tantum esse veram, in quantum ex ea non sequitur absurdum, ut hic sequeretur, præterquam quod provocantes principales sufficienter exprimitur, ut dictum est. Et hæc sententia videtur communior.

Petes 2. Utrum, si unus, vel ambo ad servandum honorem se provocent ad duellum, non animo pugnandi, certo scientes impediendum ab amicis, aut aliter non futurum; etiam animo pugnandi & aliquos ictus inferendi, sed certi moraliter, quod nullum inde damnum sit securum, verum potius pax concilianda, incurrant excommunicationem? R. probabiliter negativè; quia non provocant verè, sed apparenter tantum, ad duellum; est enim duellum pugna periculosa. In foro tamen externo, ubi non judicatur de interioribus, reputabitur duellum?

Petes 3. Utrum, si parato & armato ad duellum, à quo deterri non possum, commodum arma mea, quia meliora sunt, quam ipsius arma, incurram excommunicationem? Respondet negativè noster Loth. post quosdam alios; quia non in pecco, sed præsto obsequium licitum amico; non enim sum causa, quod pugnet, sed quod pugnet cum periculo minori. Sicut, si, volenti absolute frangere jejunium cibo noxio, ipsi offeram innoxium, non pecco. Jura autem excommunicant subministrantes illicitè arma pugnatu in duello, & quæ sint aliquo modo via veniendi ad duellum, Hæc sententia videtur probabilis.

Petes 4. Utrum, qui ratam habet pugnam, vel provocationem, aut aliam actionem, in Bullis Pontificum expressam, suo nomine factam, incurrat excommunicationem?

nem? R. probabiliter negativè; quia pæne non sunt extendendæ ultra terminos Legis, & quando Legislator eas ad ratiabilitatem vult extendere, id solet exprimere. Unde in pænis ratiabilitate mandato non comparatur, nisi exprimitur in præsentem autem casu non exprimitur.

Petes 5. Utrum omnes etæ pæne incurrantur ipso facto ante sententiam Judicis? R. Excommunicationem, suspensionem, interdictum incurrunt ante sententiam Judicis. Idem dicendum de privatione Sepulture Ecclesiasticæ, si in conflictu obierit: si autem dubitet Pastor, an fuerit verum duellum, non potest privare ante sententiam Judicis, aut inconsulto Episcopo. Cæteræ pæne non incurruntur, nisi post sententiam Judicis; & quamvis posset esse difficultas de inhabilitate ad beneficia obtinenda, sic tamen videtur usu receptum.

Petes 6. Quis possit absolvere a casu duelli? R. Clementem VIII. Const. cit. soli Pape hunc casum reservasse, derogando facultatibus, & indultis concessis quibusvis personis cujuscumque Ordinis status, gradus, aut conditionis. Nihilominus graves Auctores censent, quod, quando casus est occultus, Episcopi possint ab illo absolvere, præter privilegium illis concessum a Concilio Trid. sess. 24. cap. 6. cui non est derogatum per hanc Constitutionem Clementis VIII. cum de illa nulla fiat mentio, proit debet fieri, ut censetur derogatum. Ita Lezana post Bonacinum, & Sanchez. Et talem puto esse praxim communem. Etiam Regulares Privilegii extra Italiam possunt ab illo absolvere, ut constat ex Decreto S. Congreg. sub Urbano VIII. quod est posterius Constitutione Clementis VIII. de quo vide Dissert. 6. de Pœnitentia art. 7. Pet. 5.

ARTICULUS VI.

De Scandalo.

§. I. Quid & quod sit Scandalum?

Scandalum græcè significat latine offendiculum, seu impactionem pedis; (*Hic q. 43. art. 1. o.*) contingit enim, quod quandoque aliquis obex ponitur alicui in via corporali, cui impingens disponitur ad ruinam, & talis obex dicitur scandalum. Similiter in processu vite spiritualis contingit, aliquem disponi ad ruinam spiritualem per dictum, vel factum alterius, in quantum ejus inductione, vel exemplo ad peccandum trahitur; & hoc propriè dicitur Scandalum. Unde

Dico 1. (*Ibid.*) Scandalum rectè finitur: *Dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruine spiritualis.* Dicitur 1. (*Ibid.* ad 1.) *Dictum, vel factum*, non conceptum, ut in definitione peccati; quia peccatum internum, quod non apparet, non potest præbere alteri occasionem peccandi. Sub nomine dicti, vel facti intellige etiam omissionem dicti, vel facti, quod debet dici, aut fieri; ut omisso Horarum, vel Sacri die festo, & ad affirmationem enim reducit negatio, ut dictum est in definitione peccati. Dicitur 2. (*Ibid.* ad 2.) *Minus rectum*; non hoc sensu, quod sit rectum, & ab aliquo alio superetur in rectitudine; sed quod habeat aliquem defectum rectitudinis, id est non rectum, sive quia est secundum se malum, & peccatum; sive quia licet ex genere bonorum habet speciem mali ex circumstantiis; aut ex eo quod solet male fieri, & facile presumatur sic fieri, etiam quando bene fit; sicut, cum aliquis recumbit in Idolo; quamvis enim hoc secundum se non sit peccatum, si aliquis non corrupta intentione faciat, tamen quia habet quandam speciem mali, vel similitudinem venerationis Idoli, potest alteri præbere occasionem ruine. Et ideo Apost. monet 1. Thessal. 3. *Ab omni specie mala abstinete vos.* Dicitur 3. *Præbens alteri occasionem ruine spiritualis*; ut cum quis suasionem, consilio, exemplo &c. inducit alium ad peccandum. Neque est necesse, quod expressè intendat peccatum alterius; sed sufficit, quod dicat, vel faciat id, ex quo attentis circumstantiis natum est sequi peccatum alterius. Non ergo omne peccatum coram aliis commissum semper habet malitiam scandalum, sed quando prævidetur, aut prævidetur potest, ac debet periculum, ne alii, coram quibus committitur, per illud inducantur ad peccandum. Sæpe enim contingit, quod peccantes coram aliis tam pravis moribus, & mala fama laborent, vel præsentem tam prudentes, & in virtute constantes sint, ut uero pravo peccantis exemplo moveatur (id tamen vix admittendum est in materia luxuriae); vel etiam fieri potest, quod præsentem sint ita animo parati ad peccandum, ut exemplo Theol. Billart. Secunda secunde.

plum aliorum nihil conferat ad eorum peccatum.

Hinc vides, corrigendam esse opinionem plurium de vulgo, qui dum videntes, aut resicientes aliorum peccata, justè commoveantur, pudore suffunduntur, indignantur, dicunt se esse scandalizatos; scandalizari enim est peccando pati ruinam spiritualem: isti autem non peccant, nisi forte inde erumpent in maledictiones, aut judicia temeraria.

Dico 2. (*Ibid.* ad 4.) Duplex est scandalum, unum activum, quod definivimus; aliud passivum, quod est ruina spiritualis proximi occasione dicti, vel facti alterius. Activum duplex: (*Ibid.*) Unum per se, aliud per accisionem. Activum per se est, quando quis expressè intendit suo facto, vel dicto inducere alterum ad peccatum; vel si non intendat expressè, tale est factum, aut dictum, ut ex se sit inducivum ad peccatum. Activum per accisionem est dictum, vel factum, ex quo præter intentionem peccantis & conditionem operis aliquis male dispositus inducitur ad peccandum, puta, cum aliquis invidet bonis alterius. Et hoc scandalum, si nullo modo, nec etiam implicite sit intentum, est improprie scandalum. Scandalum passivum est etiam duplex, datum & acceptum. Datum est quod vere oritur ex alterius dicto, vel facto, quod revera malum est, aut speciem mali habet. Acceptum est, quo quis ex dicto, vel facto alterius præter omnem ejus intentionem, & conditionem operis, ex sola sua sinistra interpretatione sumit occasionem peccandi; idque vel ex infirmitate, aut ex ignorantia, & dicitur scandalum pusillorum; vel ex sola malitia, & dicitur scandalum pharisaicum; quia Pharisei ex malitia scandalizabantur ex sanctissimis dictis, & factis Christi, Matth. 23. Quandoque ergo (*Ibid.*) est scandalum passivum sine activo, ut Pharisei: quandoque est activum sine passivo, ut cum aliquis inducit verbo, vel facto alium ad peccandum, & ille non consentit. Quandoque est activum cum passivo, ut cum ad inductionem unius alius peccat.

§. II. Utrum scandalum sit peccatum?

Scandalum passivo (*Ibid.* a. 2. o.) non est dubium; quia nemo scandalizatur, nisi quantum aliquantulum ruit spirituali ruina, quæ est peccatum. De activo autem

Dico 1. (*Ib.* & a. 4. o.) Omne scandalum activum propriè dictum est peccatum ex genere suo mortale: quia vel opus scandalizans est secundum se malum, vel habet speciem mali, & ideo omittendum propter proximi charitatem, qua tenemur salutem proximi providere. Unde scandalum opponitur charitati, & misericordiae, quatenus hæc inclinat ad correptionem fraternam, consequenter peccatum mortale ex genere.

Potest tamen fieri veniale, (*Ibid.* a. 4. o.) non solum ex indeliberatione, sed etiam ex levitate materie, ut si quis ex levi, & veniali indiscretionem dicit, aut facit, id quod habet aliquam speciem mali, unde alter præter intentionem agentis inducitur ad peccatum mortaliter: vel si quis per peccatum veniale intendat alium inducere in peccatum veniale tantum.

Dices 1. Peccata non eveniunt ex necessitate; atqui necesse est, ut veniant scandala, inquit Christus Matth. 18. ergo: R. Necesse esse (*Ibid.* art. 2. ad 1.) ut veniant scandala, non necessitate absoluta, sed ex hypoteti perverstitatis, & inhumanitatis hominum, qui sibi a peccatis non cavent. Sicut, si aliquis Medicus videns aliquos indebita dicta utentes diceret: necesse est, tales infirmari; quod intelligendum est, sub hac conditione, si dictam non mutant. Similiter necesse est, eveniri scandala, si homines conversationem malam non mutant.

Dices 2. Christus Matth. 19. dicit Petro: *Scandalum mihi es*; atqui non est verisimile, Petrum in hoc peccasse, cum juxta Hieron. in hunc locum Petrus ageret ex affectu pietatis: ergo. R. Hæc Christi verba dupliciter exponi posse: (*Ib.* ad 2. & in 4. d. 38. q. 2. a. 3. q. 1. ad 1.) 1. Sic ut Petrus excusetur ab omni culpa, sumaturque scandalum large pro quolibet impedimento. Volebat enim Petrus Christi Passionem impedire quodam pietatis affectu ad Christum. Hunc sensum indicat hic Auctor. Alio modo sic ut scandalum propriè sumatur, & Petrus dicitur venialiter peccasse peccato scandalum; quatenus in quantum ex se erat, scandalizabat Christum, in quem tamen cadere non poterat scandalum passivum, voleudo ipsum retrahere a Passione, de qua mandatum habebat a Patre. Nec refert, quod ita ageret Petrus ex affectu pietatis: possunt enim quandoque mala committi ex affectu pietatis, & bona intentione ab eo, qui habet zelum

Dei, sed non secundum scientiam. Hunc sensum indicat Auctor in 4. citatus in margine, & in Catena aurea.

§. III. Utrum scandalum sit speciale peccatum.

Non est questio (Ib. a. 3. o.) de scandalo passivo; quia certum est, non esse speciale peccatum, siquidem ex dicto, vel facto alterius aliquem ruere contingit secundum quodcumque genus peccati. Nec hoc ipsum, quod est occasionem peccandi sumere ex dicto, vel facto alterius, specialem rationem peccati constituit, quia non importat specialem deformitatem speciali virtuti oppositam. Questio est igitur de scandalo activo. Auctor (Ib.) distinguit hic duplex scandalum, unum per se, aliud per accidens; non tamen intelligit hanc distinctionem eodem modo, ac in Art. 1. Vocat hic scandalum per se, quando quis suo inordinato dicto, vel facto intendit expresse trahere alterum ad peccandum. Vocat scandalum per accidens, quando quis facit, aut dicit id, ex quo praevidet, aut praevidere potest ac debet, quod alter scandalizabitur, absque expressa intentione ipsum inducendi ad peccatum.

Constat 1. (Ibid.) inter Auctores, scandalum per se, & ex intentione expressa esse speciale peccatum, quia specialem repugnantiam habet ad charitatem, qua tenemur velle bonum spirituale proximi. Unde in hoc scandalo reperiri potest triplex peccatum; ut, si quis agit impudica coram puella, ut ipsam inducat ad fornicandum, est duplex peccatum contra castitatem, & peccatum scandali contra charitatem, & correptionem fraternam. Constat 2. Scandalum per accidens sine intentione expressa, si detur per opus secundum se bonum, aut indifferens, sed habens speciem mali, esse etiam speciale peccatum; quia est peccatum, & non habet aliam rationem peccati, quam scandali.

Verum controversia est, utrum scandalum per accidens, quod datur per opus jam ex se malum, sit speciale peccatum; ut si quis coram aliis fornicetur, at non intendens expresse inducere in luxuriam. Multi ergo tenent, hoc scandalum esse speciale peccatum: 1. Quia in aliis peccatis sufficit virtuale, & implicita intentio, ut qui sagittam incaute projiciendo hominem occidit, est homicida; qui ex garrulitate lachrymam proximi, est verus detractor; qui fornicatur cum Moniali, est sacrilegus; licet primus non intendat expresse, sed tantum virtualiter, & impliciter occidere; secundus detrahere; tertius rem sacram profanare. 2. Quia, ut modo dicebamus, conveniunt omnes scandalum per opus de se bonum, aut indifferens habens speciem mali esse speciale peccatum: ergo & scandalum per opus de se malum; non enim istud est melioris conditionis, quam primum; & quamvis sit jam secundum se malum, nihil impedit, quominus ex diverso capite referatur ad duplicem speciem peccati. Negant autem, hoc scandalum esse speciale peccatum, Paludanus, Cajetanus, Banez, Vazquez, Azorius, Sanchez, Becanus, &c. & videtur expressa sententia S. Th. querit enim ex professio S. Doctor in hoc art. 3. utrum scandalum sit speciale peccatum? Et sic resolvit: Scandalum activum potest accipi dupliciter per se scilicet, & per accidens. Per accidens quidem, quando est praevisio intentionem agentis, ut puta, cum aliquis facto suo, vel verbo inordinato, non intendit alteri dare occasionem ruinae, sed solum suae satisfacere voluntati: & sic scandalum activum non est speciale peccatum; quia, quod est per accidens, non constituit speciem. Per se autem est activum scandalum, quando aliquis suo inordinato dicto, vel facto intendit alium trahere ad peccandum: & sic ex intentione specialis finis, sortitur rationem specialis peccati. Finis enim dat speciem in moralibus. Nihil sane videtur expresse.

Respondet Wiggers, & Sylvius, quod quando S. Th. dicit, scandalum per accidens, prout explicat, non esse speciale peccatum, intelligendus sit de eo, quod est prorsus per accidens, id est, quod neque directe, neque indirecte, & interpretative est volitum, sed omnino praevisio intentionem agentis, non solum expressam, sed etiam interpretativam. Qui autem facit opus malum ex quo natum est sequi ruinam proximi, istud scandalum non est omnino per accidens; quia, etsi non sit expresse, & directe volitum, est tamen indirecte, & interpretative volitum. Sed contra. Quod est omnino per accidens, neque directe, neque indirecte, neque expresse, neque interpretative volitum, non est peccatum; & si non sit peccatum, non est verum scandalum; quia, ut ait S. Th. art. praeced. in corp. Scandalum activum semper est peccatum in eo, qui scandalizat; atque, dum dicit hic, quod scandalum per accidens non sit speciale peccatum, loquitur de scandalo, quod sit

peccatum, & verum scandalum: ergo non intelligit de scandalo, quod est omnino per accidens, id est, nullo modo volitum, sed de scandalo, quod est indirecte, & interpretative volitum.

Videtur, meo saltem iudicio, noster Serra verius attingere mentem D. Th. & apperuisse viam ad conciliationem utriusque sententiae: unde cum ipso.

Dico: Scandalum per accidens, de quo in casu, non est quidem speciale peccatum, est tamen specialis circumstantia actus mutans speciem. Prob. cum laudato Serra ex differentia, quae est inter speciem peccati, & eius circumstantiam. Species peccati, seu prima essentialis, & specifica ejus malitia desumitur ex objecto primario, & directe volito; circumstantia autem, quae est quoddam accidens actus moraliter sumpti, sumitur ab objecto secundario, & indirecte volito, ut latius exposuimus ex Auctore Dissert. 2. de actibus humanis art. 3. §. 1. & 2. ergo, quando quis dicto, vel facto praebet alteri occasionem ruinae, hoc directe, & per se non intendens, tale scandalum non habet rationem specialis peccati, sed solum circumstantia: habebit autem rationem specialis peccati, quando per se primo, & directe intendit alterum inducere ad peccatum. Hoc autem sensu S. Thomam intellexisse scandalum per accidens non esse speciale peccatum, patet ex eo, quod in corpore art. & in resp. ad 1. & 3. nullam aliam rationem afferat, cur non sit speciale peccatum, quam quia ratio specialis peccati habetur ex intentione specialis finis, & id, quod est per accidens, non constituit speciem. Esse autem circumstantiam mutantem speciem, probat prima ratio primae sententiae. Quantum ad 2. rationem, disparitas est, quod opus ex se bonum, seu indifferens, cum non habeat ex objecto primam, & specificam malitiam, necesse est, quod illam habeat ex circumstantia, quae in genere mali primo intenditur. At opus ex se malum eam habet ex objecto. Unde ea, quam habet ex circumstantia, non est essentialis, & specifica. Cum ergo obijciat, quod sit speciale peccatum inter nocumentum proximo, licet non sit directe volitum, sed indirecte tantum in causa, distinguendum est: Si causa sit ex bona, vel indifferens, C. si sit jam ex se mala, N. tunc enim est tantum circumstantia. Consule locum citatum de Actibus humanis.

Dices. S. Th. in fine hujus a. 3. dicit: Sic utrum sit speciale peccatum, aut homicidium, propter speciale nocumentum proximi, quod intenditur, ita etiam scandalum; atque intentio, quae requiritur ad speciale peccatum furti, vel homicidii, non est expressa, & formalis inferendi proximo nocumentum, sed virtuale, & indirecta: ergo similiter in scandalo. R. cum eodem Serra, N. Min. Ut enim dicit S. Doctor 1. 2. q. 73. a. 8. in furto, & homicidio nocumentum est per se objectum peccati, & homicidia, vel furti operatur animo nocendi alteri; implicat enim contradictionem velle expresse alteri auferre vitam, aut aliam rem, & non velle expresse illi nocere.

Consecutaria praecedentis Doctrinae.

EX dictis in duobus praeced. §§. colliges scandalizantem teneri explicare in confessione 1. non solum peccatum, quod alterum scandalizavit, sed etiam speciem peccati, ad quod illum pertraxit, puta fornicationem, adulterium, ebrietatem, &c. quia peccatum scandali non solum est contra charitatem proximi, sed etiam contra illam virtutem, ad cuius violationem ipsum pertrahit: Lex enim, quae ipsum directe obligat ad servandam castitatem, v. gr. illum obligat indirecte, ne sciens, & volens proximum ad violationem castitatis inducat. 2. Tenetur scandalizans explicare numerum personarum, quas sive directe, sive indirecte scandalizavit; quia tot sunt distincta nocumenta, quot sunt personae. Tenetur explicare conditionem personarum scandalizarum, quando ista conditio affert deformitatem specialem, ut si induxisti ad turpia moniales, uxoratas, consanguineas, &c.

4. Tenetur explicare, an invitum, aut non cogitantem, an facile consentientem, & paratum induxerit: quia in primo causant voluntatem, & actum peccandi; in secundo actum tantum, & exercitium peccati. Ad hoc ut plurimum non satis attendunt tam Penitentes, quam Confessarii, praesertim ubi agitur de scandalo per accidens, & indirecte intento tantum. 5. Est etiam aliquando explicanda conditio scandalizantis, ut si Superior, Pater Familias, Parochus, &c. scandalizaverit subditos, quia hi tenentur non solum ex charitate, sed etiam ex officio praecavere ruinam suorum subditorum. 6. Qui in-

du-

duxit alterum ad peccatum injustitiae jussione, consilio, auxilio, &c. tenetur cum illo ad restitutionem, eo modo quo dicimus dam de restitutione faciendam a cooperantibus ad injustam damnificationem Dissert. 8. de Justitia a. 13. quia non solum peccat contra charitatem respectu illius, quem scandalizat, sed etiam contra justitiam respectu illius, ad cuius damnum concurret. Multi id negant, si exemplo tantum alium induxerit ad peccatum injustitiae; sed contrarium probabilius docuimus loco cit. §. 3. in fine: quia, si suo exemplo efficaciter movet ad damnificationem, peccat contra justitiam respectu damnificati, ac si moveret consilio, aut suasionem.

§. IV. Utrum bona tam spiritualia, quam temporalia sint dimittenda propter scandalum passivum vitandum?

Dico 1. (Ib. a. 7. o.) Bona spiritualia, quae sunt de necessitate salutis, id est, quae praetermitti non possunt absque peccato, non sunt dimittenda propter scandalum passivum vitandum. 1. Quia homo secundum ordinem charitatis plus debet diligere salutem suam spiritualem, quam alterius. (Ib. ad 5.) 2. Quia implicat, aliquod peccatum, etsi tantum veniale, esse licitum; hoc ipso enim desineret esse malum & peccatum. Unde Apost. Rom. 3. dicit: non sunt facienda mala, ut evitent bona.

Dico 2. (Ib. o.) Bona spiritualia, quae non sunt de necessitate salutis, seu quae praetermitti possunt absque peccato, non sunt dimittenda propter scandalum pharisaicum, si subsit aliqua causa ea non differendi; quia, cum hujusmodi scandalizati peccent ex malitia, non sunt in necessitate, a qua non possint se facile liberare sine ope alterius; & aliquando daretur locus iniquis impediendi bona opera, cum vellent. Unde, hoc scandalum non esse curandum, docuit Christus Matth. 15. quando Discipulis referentibus, quod Pharisei scandalizabantur ex ejus dictis & factis, respondit: Mittite illos, caci sunt & duces caecorum. Dixi tamen: si subsit aliqua causa non differendi; quia charitas dicitur, ne absque ulla causa offeramus etiam peccatum ex malitia occasionem peccandi; abhorret enim charitas ab omni eo, quod Deum offendit.

Dico 3. (Ib.) Bona spiritualia, quae non sunt de necessitate salutis, ut in praecedenti Conclusionem, si non imminet periculum, sunt propter scandalum pusillorum occultanda, aut differenda, donec reddita ratione hujusmodi scandalum cesset; quia proximo in necessitate spirituali constituto tenemur subvenire, quando commode possumus; atque, qui ex ignorantia, vel infirmitate peccaturus est ex meo facto, est in necessitate spirituali: ergo, cum possum commode illud occultare, vel differre, donec instruat, ad id teneor. Dixi: Donec ratione reddita hujusmodi scandalum cesset; quia, si post redditam rationem, inquit Auctor scandalum dicit, jam videtur ex malitia esse, & sic propter ipsum non sunt hujusmodi spiritualia opera dimittenda. Observat Sylvius, S. Th. consulto dixisse Videtur ex malitia esse; quia non sic semper est: potest enim scandalum pusillorum etiam post rationem redditam durare, sive quia hanc rationem ex stupiditate non apprehendunt, sive quia contraria ratione sibi magis apparente, aut contraria consuetudine ducuntur: quo casu monet ex Cajetano, quod, si ista spiritualia non necessaria sine nostra notabili iactura possint differri, adhuc ab eis sit abstinendum, donec scandalizati plenius informantur.

In huc usque dictis satis conveniunt Theologi; sed controversitur, utrum ea, quae sunt legibus praecipia, vel prohibita, possint, aut debeant praetermitti ob scandalum pusillorum? Quidam absolute & universaliter negant; quia, inquit, impletio operis praecipii nec in se est mala, nec habet speciem mali: ergo, si quis inde scandalizatur, scandalum non erit datum, sed acceptum, sique ruinam sibi imputet, & non alteri. Nec obstat, quod sic acceptum ex infirmitate, quia infirmitas illa non est sine malitia, Verumtamen cum communiori sententia.

Dico 4. Quando occurrit aliquod praecipium affirmativum, sive naturale, sive positivum divinum, vel humanum, aut etiam negativum divinum, vel humanum, non prohibens res intrinsece malas, impossibile est cum praecipio naturali de vitando scandalo proximi, perpendendum est, quodnam omnibus attentis sit majus & magis obligans, & illud est servandum. Quia, quando concurrunt duo praecipia, quae non possunt simul observari, majus obligat, & alia desinunt obligare pro tunc. Porro praecipium de vitando scandalo pusillorum quandoque magis, quandoque minus obligat, quam alia, ut patet in casibus sequentibus, qui communiter admittuntur.

1. (Ib. ad 1. & 3.) Correptio fraterna est Juris naturalis; & tamen est omittenda, si corripiendus inde scandalizatur, & fiat deterior. Similiter punio peccatum est Juris naturalis; & tamen juxta Aug. l. 3. contra Ep. Parmen. c. 2. est dimittenda, ubi ex illa periculum Schismatis timetur. 2. (Ib. ad 2.) Praedicatio Evangelii est Juris divini positiva, & tamen ab ea cessandum est propter scandalum Matth. 7. v. 6. Item integritas confessionis est praecipii divini, & tamen mulier in confessione potest & debet omittere peccatum, ex quo intelligit, Confessorium, cui necessario confiteri debet, grave scandalum ex infirmitate passurum. 3. Audite sacrum die Feste, jejunare in Quadragesima sunt praecipia Ecclesiastici; si tamen uxor praevidet inde maritum morosum aut zelotypum notabiliter ex infirmitate offendendum, atque blasphemiarum, imprecationum, & gravis dissensionis occasionem sumpturum, potest & debet semel & iterum scire, omittere.

Solet hic proponi casus, an puella, quae scit, aliquem determinate ex suo aspectu scandalizari, possit & debeat sacrum die festo omittere? Respondetur satis communiter, quod possit & debeat semel & iterum omittere, non vero diu; neque semel, si aliqui tantum indeterminate sint ex ejus aspectu scandalizandi; alias nunquam de domo posse exire, aut respicere per fenestras, quod esset nimis durum. Responsionem hanc nolum absolute negare, si certo constet, ut supponitur, hanc puellam non posse sine scandalo determinate personae ire ad Ecclesiam. Sed suppositionem difficile admittere. Numquid enim potest occulte ire ad Ecclesiam, aut velata more patrie, aut minus ornata? Si ita est, tenetur. Unde casus videtur raro admittendus in praxi.

4. E contra. Si scias, ex ingressu in domum cujusdam mulieris, in qua est infans baptizandus, quem nemo alius vult baptizare, oriri scandalum, nihilominus debes ingredi praemissa, si possibile sit, monitione; quia praecipium subveniendi salutis infantis praeponderat praecipio scandali vitandi. Idem propter idem est dicendum, si ex Baptismi necessari collatione praevideas, aliquos graviter commovendos & blasphematos. Itaque ad rationem in contrarium ante conclusionem positam. R. quod, quamvis scandalum sit acceptum, & interveniat aliqua malitia scandalizantium; hi tamen sunt, hoc non obstante, misericordia & compassione digni, eiusque subvenire urget praecipium charitatis. Alioquin nunquam obligaret praecipium de vitando scandalo pusillorum, quod semper est acceptum & cum aliqua malitia. Et numquid ei, qui ex scandalo accepto in desperationem actus vult sibi mortem inferre; teneris succurrere, etiam omittendo sacrum in die festo, si ita necesse sit? Et tamen est scandalum acceptum, & intervenit aliqua malitia. Neque dicas, esse de necessitate salutis observare praecipia tam naturalia, quam divina & humana. Id quidem verum est de praecipis actu obligantibus: Nos autem dicimus, ea non obligare in casibus positis & similibus; quia ipsis praevalet praecipium de vitando scandalo.

Dico 5. (Ib. a. 8. o.) Bona temporalia, quae non sunt nostra, sed nobis ad conservandum pro aliis commissa, sicut bona Ecclesiae committuntur Praelatis & bona communia Rectoribus Reipublicae, non sunt propter scandalum dimittenda, quia horum conservatio, sicut & depositorum, his imminet, quibus sunt commissa ex necessitate, nec illorum sunt Domini. Idem dic de Pusillorum Tutoribus. Observant tamen graves Auctores S. Antoninus, Paludanus, Cajetanus, & alii, quoad bona Ecclesiae, quod si ex eorum defensione inpravesceret scandalum in populo, nec, ratione reddita, sedari posset, Praelatus melius faceret, si consensum Ecclesiae procuraret, ut debitum condonetur, quam si exigat.

Dico 6. (Ibid.) Temporalia bona, quorum nos sumus Domini, propter scandalum pusillorum vel sunt totaliter dimittenda, ea tribuendo, si penes nos habeamus, aut ea non repetendo, si penes alios sunt (intellige, si non sint gravis momenti), vel scandalum est sedandum per monitionem, aut instructionem: quia tenemur subvenire necessitati spirituali proximi, licet non extreme, cum aliqui nostro damno temporalis, ut patet ex dictis de ordine charitatis & de correptione fraterna. Quod si post instructionem adhuc scandalum durer, ordinatè tunc est ex malitia. Si vero (Ibid.) scandalum sit ex malitia & Pharisaeum, propter eos, qui sic scandala concitant, non sunt dimittenda temporalia, quia hoc noceret bono communi; daretur enim malis rapiendi occasio, & noceret ipsis rapientibus, qui retinendo alia in peccato remanent.

5. V. Cetera difficultates circa scandalum breviter resolvuntur.

Petes 1. Utrum sit semper peccatum scandalum petere ab aliquo id, quod non est facturus sine peccato? R. 1. Petere, aut consulere absolute opus, quod fieri non potest absque peccato, est semper peccatum scandalum; quia hoc est directe inducere alterum ad peccandum. Dixi: absolute; quia, si quis esset determinatus ad grave peccatum, si ceret illi suadere minus; sensus enim non est, quod absolute faciat minus, sed conditionaliter, si decrevisset facere minus, fac potius minus. R. 2. Si quod petitur, fieri possit absque peccato, quamvis praevidetur alter non facturus absque peccato, subsistente iusta causa, non est peccatum scandalum illud ab eo petere. Sic in necessitate licet petere mutuum ab usurario, Sacramenta a malis ministris; quia, qui petit sic, ex iusta causa petit, quod iustum est & rationabile, & quod alter potest bene facere, si velit. Excepe casum, quo quis peteret a maleficio tollere maleficium, quod quidem potest tollere sine maleficio; quia, cum demon non ablatum nisi per aliud maleficium; quia, cum demon sit Dei inimicus irreconciliabilis, omnis societas cum illo est iure naturali illicita, utpote contra fidem & reverentiam debitam Deo. De his vide plura, quae scripsimus in variis locis, nempe de Religione Dissert. 7. a. 5. §. 2. Petiti. 2. sub finem. De contractibus Dissert. 4. a. 7. de Sacramentis in genere, Dissert. 1. art. 6. Concl. 2. & alibi.

Petes 2. Utrum cooperari materialiter peccato alterius sit peccatum scandalum? R. Quod cooperari peccato alterius per actiones secundum se indifferentes, ut contingit in captivis apud Turcas, qui remigant contra Christianos, in rusticis, qui avehant praedas fortivas militum, in caupone, qui die veneris apponit carnes hospitibus, si id fiat metu mortis, aut gravis damni, non sit peccatum scandalum. De qua materia non parum impleta vixit plura, quae scripsi in Tract. de Justitia Dissert. 8. a. 13. §. 6.

Petes 3. Utrum scandalum reperitur in viris perfectis? R. Scandalum (Ib. a. 5. & 6. a.) non reperit ordinari in viris perfectis. Non passivum; quia, cum hemiter inharent Deo, non moventur aliorum dictis, aut factis. Non activum; quia, licet ex humana infirmitate a perfectione deficiant, id tamen sit occulte, vel leviter, ex quo non potest ab aliis rationabiliter sumi occasio peccandi. Dixi: Ordinarie; quia, licet Auctor hic absolute loquatur, intelligendum tamen esse de eo, quod ordinari & ut plurimum accidit, constat ex his, quae scribit in 4. d. 28. q. 2. art. 3. q. 1. & 2. Ubi agnoscit aliquando, etsi raro, scandalum tam passivum, quam activum posse reperiri in perfectis, non quatenus sunt perfecti, sed quatenus deficiunt a perfectione. Idque evidens est; cum enim perfecti in via non sint confirmati in gratia, possunt ex dictis, vel factis aliorum moveri ad peccandum, & ipsi facere, vel dicere id, ex quo alii moventur ad peccandum.

DIGRESSIO HISTORICA.

Utrum bellum, quod Filii Jacob intulerunt Sichimitis propter stuprum Dinæ sorori illatum, fuerit iustum?

Ad Art. 3. de Bello.

Moyses Genes. 34. narrat, quod, cum Jacob juxta Salem urbem Sichimitarum tentoria fixisset, Sichem filius Hevæi Dinam Jacobi filiam seorsim repertam defloraverit, quam cum Patre petiit in uxorem a Jacob, annuit Jacob a lege, ut omnes Sichimitae cum Rege & ejus filio Sichem circumciderentur. Conditione accepta & adimpleta, Simeon & Levi fratres Dinæ primo, deinde ceteri filii Ja-

cob tercia die circumcisionis, quo vehementissimis est ejus dolor, urbem invaserunt, & irruerunt in Sichimitas, omnesque masculos cum Rege & ejus filio trucidarunt, ac mulieres, pueros, greges, armenta abduxerunt. Quaeritur, utrum istud Bellum fuerit iustum?

Dico: Bellum, quod filii Jacob Sichimitis intulerunt, non erat iustum. Prob. 1. Quia illatum fuit sine legitima auctoritate, nempe inconsulto Jacob, cujus erat vindicare injuriam factam suae filiae. 2. Illatum fuit contra fidem datam, & pactum, quod intulerant filii Jacob cum Sichimitis. 3. Quia Sichimitas ex recenti vulnere debilitati, & ad bellum imparati & inermes aggressi sunt, quod sapit crudelitatem. 4. Quia longe majorem vindictam sumpserunt, quam merebatur facinus Sichem: Offerebat enim Hemor totam, quam poterat, satisfactionem, nec majorem exigebant Jacob & ejus filii, & tamen non solum reum, sed omnes masculos insontes occiderunt, urbem depopulati sunt, greges & armenta, mulieres & pueros abduxerunt. Unde Jacob gravius objuravit Simeonem & Levi, auctores facinoris Genes. 34. v. 30. „*Dirastis me*, inquit, „et odiosum fecistis me Chanaanitis & Pherezais habitatoribus terrae hujus. Nos pauci sumus. Illi congregati percutierunt me, & delebor ego & domus mea. Et dum moriens benediceret filiis suis, de Simeone & Levi sic loquitur Genes. 49. Simeon & Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in ceteris illorum non sit gloria mea: Quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia peritiam, & indignationem eorum, quia dura. Dividam eos in Jacob, & dispergam eos in Israel. Quae verba juxta Hieronymum in Traditionibus Hebraicis intelliguntur de caede Sichimitarum per Simeonem & Levi.

Dices 1. Jacob Genes. 48. v. 22. dicit filio Joseph: *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tibi de domo Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Quod sic vertunt septuaginta Interpretes: *Do tibi Sichimam praecipuum supra fratres tuos, quam accepi de manibus Amorrhæorum in gladio meo, & sagitta.* Amorrhæi autem erant Sichimitae. Si ergo Jacob judicasset bellum contra Sichimitas iniustum, eorum urbem non retinisset, nec legasset filio suo Joseph, sed legitimis dominis restituisset: ergo. R. partem illam, quam Jacob praecipuum dedit Joseph, non fuisse urbem Sichem, sed partem agri vicini, quam centum agnis emerat a popularibus Hemor Genes. 33. v. 19. Vox enim Sichem, quam usurpant septuaginta Interpretes, est ambigua significatio. Quando sumitur ut nomen proprium, significat urbem Sichem; quando sumitur ut nomen appellativum, significat partem. Sic autem hic accipi constat, non solum ex S. Hieronymo, & latina versione, sed ex Syriaca & Arabica, & ex Paraphrasi Caldaica. Dicit autem Jacob, se eam tulisse *In gladio & arcu*; quia, licet eam primo pretio emerat a popularibus Hemor, postea tamen Amorrhæos e vicino agro armis expulit, quia illam injuste eripuerant a Sichimitis. Neque verum est Hemor & Sichem fuisse Amorrhæos; erant enim juxta Scripturam *Hevæi*. Insuper incredibile est Jacob, qui invasionem urbis Sichem tanquam injustam suis filiis exprobravit, & cujus auctoribus Simeoni & Levi cap. seq. moriens maledixit, urbem hanc retinuisse, de ejus invasione gloriari, & eam Joseph tanquam suam dedisse.

Dices 2. Judith c. 9. laudat zelum Simeonis in invasione & eversione urbis Sichem. R. Judith hanc in re sensum Scripturae non attigisse, vel tantum spectasse primum propositum Simeonis & Levi, quo intendebant justè ulcisci stuprum Dinæ & familie dedecus. Nec obstat, quod Judith dicat, Deum illos adjuvisse; xpe enim Deus adjuvat temporaliter peccatores.

TRAC

TRACTATUS DE PRUDENTIA.

D. Thom. a. Q. 47. ad 56.

Quamvis Prudentia sit virtutum cardinalium prima & nobilissima, pauca tamen scitu necessaria ad praxim de ea occurrunt dicenda: quapropter, quæ fuscè discutit S. Doctor, ea nos compendiosè tractabimus.

DISSERTATIO I.

DE PRUDENTIA SECUNDUM SE.

ARTICULUS I.

Quid sit Prudentia?

Prudentia dicta est a providendo; quia prudens, inquit Isidorus l. 10. Etymolog. dicitur quasi porro videns; perspicax est enim, & incertorum providet casus. (Q. 47. a. 1. o.) Dupliciter sumi potest: (Ib. a. 2. ad 2.) largius pro qualibet cognitione veri ad mores pertinente, si ve sit speculativa, si ve practica; quo sensu comprehenditur fidem, & Theologiam, ac sæpe in Scripturis vocatur Sapientia. 2. Sumitur strictè pro notitia practica proximè morum directrice. De ea sic sumpta hic agimus.

Dico 1. (Ib. ad 1. & 2. in a. s. c.) Prudentia variè a variis definitur. Ab Aristotele 6. Et hic. c. 5. *Habitus cum ratione vera circa bona humana actus.* Item: *Recta ratio agibilium.* Ab Aug. l. 83. *QQ. Cognitio rerum appetendarum, & fugiendarum.* Ab aliis, *Virtus intellectiva, qua in quovis negotio occurrente novimus quid honestum sit, quid turpe.* Item: *Habitus intellectus humanarum actionum secundum rectam rationem directivus in omni eventu.* Hæ omnes definitiones in idem redeunt, & sunt bonæ; patebit ex sequentibus.

Dico 2. Prudentia non subiectur in appetitu, sed in intellectu practico. (Ib. a. 1. & 2. 1.) Prima pars patet ex ipso nomine; (Ib. a. 1. o.) Prudentia enim, ut notatum est, dicitur a visione; visio autem non est virtus partis appetitivæ, sed cognoscitivæ: ergo Prudentia pertinet ad vim cognoscitivam, non equidem sensitivam; quia per sensitivam cognoscuntur solum ea, quæ præsto sunt, & sensibus offeruntur; per prudentiam vero cognoscuntur futura ex presentibus, vel præteritis, quod fit per quandam collationem; proindeque pertinet ad rationem, seu intellectum.

Probatur 2. pars (Ib. a. 2. o.) Prudentis est posse bene consiliari; atqui consilium est de his, quæ sunt per nos agenda in ordine ad finem; & ratio eorum, quæ sunt agenda propter finem, est ratio practica: ergo.

Dices contra 1. partem. Prudentia est cognoscitiva singularium, cum ad ipsam pertineat applicatio ad operationem: operationes autem sunt in singularibus, & nullas posset rectè applicare, nisi cognoscat id, quod applicat, & id, cui applicat; atqui intellectus non est cognoscitivus singularium, sed universalium tantum; cognoscere autem singularia est cogitativæ: ergo. R. (Ib. a. 3. o.) Prudentiam equidem esse cognoscitivam nedum singularium, sed & universalium, quatenus applicat universalia principia rationis ad singularia. Sed D. Min. Intellectus non est cognoscitivus singularium directè, C. indirectè, N. (1. P. Q. 86. a. 1. o. & q. 10. de verit. a. 5. o.) Fateor itaque, intellectum pro hoc statu conjunctionis ad corpus non cognoscere directè singularia; quia id directè cognoscitur, quod directè per speciem intelligibilem representatur; per speciem autem intelligibilem, cum sit abstracta a conditionibus individuantibus, non representantur directè singularia, sed naturæ dumtaxat universales. Potest tamen indirectè, & per quandam reflexionem singularia cognoscere, quatenus cognoscendo objectum suum, quod est aliqua natura universalis, redit in cognitionem sui actus, & ulterius in speciem, quæ est sui actus principium, & ulterius in phantasma, a quo species est abstracta, & sic aliquam cognitionem de singularibus accipit.

Dico 3. Prudentia est vera, & specialis virtus ab aliis

distincta. (Ib. a. 4. & 5. o.) Prob. 1. Pars. Virtus est, quæ bonum facit habentem, & ejus opus bonum reddit; atqui talis est prudentia: ergo. (Ib. a. 4. o.) Confirmatur, & simul probatur Min. Prudentia est mensura, & regula aliarum virtutum moralium, rationem virtutis in eis imprimens: ergo ipsa non potest non esse virtus. Prob. ant. sic, v. gr. Jejunium non est actus virtutis temperantiae, nisi fiat secundum leges prudentiæ, scilicet eo loco, tempore, modo, & circumstantiis, quas prudentia dicat, & determinat; & sic de ceteris.

Explicatur magis notio virtutis Prudentiæ. Virtutes morales, quæ sunt in appetitu, sufficienter quidem inclinant hominem ad sua objecta ut sic, nimirum iustitia ad reddendum cuique jus suum, fortitudo ad fortiter agendum in periculis, temperantia ad temperatè vivendum; sed quia non est vera virtutis opus, nisi servet medium rationis, hoc est, nisi vestiatur omnibus debitis circumstantiis, præta, nisi fiat quando, ubi, quomodo, quantum, &c. fieri debet; necesse est, aliam esse virtutem in intellectu, quæ suo lumine præfatas virtutes dirigat in attingendo medio rationis, indicando scilicet media congrua, & circumstantias debitas, cum quibus debeat fieri opus virtutis. Et ea est virtus, quam dicimus prudentia.

Prob. 2. (Ib. a. 5. o.) Pars conclusionis. Prudentia habet speciale objectum formale, nimirum agibile in omni materia virtutum ut conforme appetitui recto; atqui virtutes distinguuntur per objecta formalia: ergo. Insuper variè differt prudentia a cæteris. (Ib. a. 1. o.) Ab intellectuibus in eo, quod sapientia, scientia, & intellectus sint circa necessaria, ars autem, & prudentia circa contingentia; sed ars circa factibilia, quæ scilicet in exteriori materia constituuntur, sicut domus, cultellus, & ejusmodi; prudentia autem est circa agibilia, quæ in ipso operante permanent, ut videre, velle, & ejusmodi. Ab aliis virtutibus moralibus distinguitur, quod istæ sint in appetitu; earumque actus eliciti sit appetitio; prudentia vero in intellectu, ejusque actus eliciti sit notitia. Unde sequitur alia differentia, quod prudentia sit regula aliarum virtutum moralium, quia actus appetitus dirigitur per intellectum.

Sed petes, sub qua ratione prudentia attingat suum objectum, an sub ratione veri, vel sub ratione boni? utrumque enim videtur astruere hic S. Thom.; primum a. 5. ad 3. secundum a. 4. c. Fieri autem nequit, ut eadem virtus respiciat suum objectum sub diversa ratione formali. R. Prudentiam respicere primò, & essentialiter suum objectum sub ratione veri practici; consequenter, & secundariò sub ratione boni, in quo nulla est implicancia. Pro cuius intelligentia.

Nota (1. 2. q. 57. a. 5. ad 3.) aliud esse verum speculativum, aliud practicum. Verum speculativum attenditur per conformitatem intellectus ad rem, ut scilicet intellectus concipiat, & enuntiet rem sicuti est. Practicum per conformitatem ad appetitum rectum, ut scilicet intellectus concipiat, & enuntiet id, quod est conforme appetitui recto. Prudentia itaque primò attingit suum objectum sub ratione veri practici. Quia, ut dictum est, ejus objectum est agibile, & conforme appetitui recto, adeoque practice verum, & sub hac ratione est virtus intellectualis, cui non subest falsum.

Et quia non cognoscit istud honestum, seu conforme appetitui recto, ut in ejus cognitione sistat, sed ut illud per alias virtutes morales operetur, quod est bonum, ideo secundariò respicit suum objectum sub ratione boni; sicque ratione materiæ, & finis est virtus moralis, non quidem elic-